



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1657

§. 115 [116]. Dicens mulier, non novi illum. v. 57.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45549

§. 115. *At ille negavit eum. v. 57.*

O fragilitas! quanta est hic Petri, qui à Christo tantopere amatus, à patre de divinitate Christi illuminatus & taliter monitus, post tanta promissa, ad vocem unius mulierculæ, pusillanimitas! cur non ait, quid ad te garrula? cur non pugno in os eius involat? uti gladio in Malchum? Sed hæc erat hora hominum & potestas tenebrarum miseranda & ploranda & à Petro per omnem vitam deplorata.

O bone Iesu, quomodo de me præsumam in minimo, ut me peccatorum periculis & occasionibus exponam, quando tam miser & fragilis est ante oculos meos Petrus, ille fortis, ille robustus, super quem ædificabitur paulò post Ecclesia Dei! Exhortor te me & præcipitium in quo sto.

§. 115. *Dicens mulier, non novi illum. v. 57.*

Vfus est Petrus verbo, *Non novi*, quod duplicem habet significationem, nempe negationem cognitionis, quæ est in intellectu, & approbationis quæ est in affectu; & forte voluit tali æquivocatione ludere iectum ancillæ; sed male; quia in neutro sensu poterat eum sermonem Petrus proferre; ideo verè deliquit, verè negavit.

Deus humilium celsitudo, & fortitudo debiliùm: confirma quæsumus quod in nobis es operatus; ut nosmetipsos & secularia desideria abnegantes, te in nullo negemus; sed fidem tuam, quam lingua nostra loquitur etiam moribus, vita lateatur. Veritatem si tacere possimus subinde nunquam tamen assertionem aliqua lædamus; ineptis effugiis, & æquivocationibus non ludamus, qui sumus Christiani.

§. 117. *Et post pusillum, alius videns illum. v. 58.*

Ecce tentationes conglomerantur, ut ruat Petrus de peccato in peccatum; has ut fortiter ipsi parat insidiator dæmon, videtur ab ancilla, videtur à servo, & ab aliis & non videtur esse talis, quales erant Pontificum ministri in moribus, in habitum, in oculis, in loquela, ideo contemplantur illum & judicant acrius.

O infelicem hominum conditionem! si bonus, si justus esse intendis veraxaris; si perversus es cum perveris, lancinaris. Quid facies miser homo? aut mundus tibi debet vilescere, contemnendo; aut Christi servus esse non poteris, mundo complacendo.

N

§. 118.